

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4142

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Bus-Saint-Rémy, Notre-Dame-du-Trésor (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1239, juin

**Lieu d'émission :** Vernon

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

En vidimant une charte de Nicolas de Bois-Gautier, par laquelle il accorde la vente faite par Guillaume Le Dondu aux religieuses du Trésor Notre-Dame, Louis [IX], roi de France, approuve cette vente.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1159, p. 317.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, omnibus ad quos littere presentes pervenerint, salutem. Noveritis quod nos litteras Nicolai de Bosco Galteri vidimus in hec verba :

Omnibus presentem paginam inspecturis, Nicolaus de Bosco Galteri, salutem in Domino. Ad noticiam singulorum perveniat quod Guillelmus Le Dondu, assensu et voluntate Aveline, uxoris sue, vendidit et concessit sanctimonialibus de Thesauro Beate Marie ibidem Deo servientibus et servituris, totum feodum quod tunc temporis apud Brociam possidebat, quod idem Guillelmus ibidem tenebat de me, ratione maritagii Aveline, uxoris sue, videlicet tam in terris quam domibus, nemoribus, hospitibus, redditibus et rebus aliis, tenendum et in perpetuum possidendum dictis sanctimonialibus, libere, quiete et pacifice, absque ulla dictorum Guillelmi et Aveline, vel heredum eorum reclamacione. Ego vero Nicolaus, hanc volens et concedens venditionem, dedi et concessi in puram et perpetuam elemosinam, pro salute anime mee et antecessorum meorum, dictis sanctimonialibus, assensu domini regis, de quo dictum tenebam feodum, quicquid juris et domini in eodem feodo habui et habebam et habere poteram, absque ulla mei deinceps vel heredum meorum reclamacione. Et ad majorem hujus rei confirmationem, ad petitionem dictorum Guillelmi et Aveline, cum appositione sigilli dicti Guillelmi, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono, mense junio.

Nos autem, ad petitionem dictorum Nicolai et Guillelmi, qui dictam venditionem coram nobis voluerunt et concesserunt, in hujus rei testimonium, sigillum nostrum, salvo jure nostro, presentibus litteris duximus apponendum. Actum apud Vernonem, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono, mense julio.